

# **Landesbibliothek Oldenburg**

## **Digitalisierung von Drucken**

### **Martini Chemnitii, Doctoris Theologi celeberrimi, Harmonia Quatuor Evangelistarum**

Quam ab Eodem feliciter inchoatam ... D. Polycarpus Lyserus, et D.  
Johannes Gerhardus, ... Is quidem continuavit, Hic perfecit ; Opus  
Eruditionis Stupendæ, Orthodoxorum consensu approbatum, idemque tot  
Eruditorum desideriis adhuc expetitur

**Chemnitz, Martin  
Leyser, Polycarp  
Gerhard, Johann**

**Hamburgi, MDCCIII**

**VD18 90617681**

Caput XXXII. Continens Historiam De Secessu Christi Ex Judæa, Per  
Samaritam In Galilæam, Ac De Colloquio Cum Samaritide, Johan. 4.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-18203**

Christum, ne post mortem seminaria schismatis relinqueret in discipulis. Et idè, cum jam in potestate Herodis, imò in carcere esset, & summo studio ad necem quæreretur, Deus tamen ipsi vitam tandiu conservavit, primò stimulis conscientia Herodis, deinde injecto metu seditionis. Tam mirabilis Deus est in sanctis suis, etiam in summa infirmitate. Cor enim regis habet in manu sua. Conjectus autem fuit Bapti-

sta in carcerem, cum quatuor adhuc menses essent ad messem, Joh. 4. v. 35. circa Decembrem mensem, & anno sequenti, cum propè esset Pascha, Joh. 6. v. 4. interfectus est, sicut postea ostendemus. Annum igitur, & tres fermè menses in vinculis fuit, sed rationem supputationis postea monstrabimus, quando ad historiam de morte Johannis pervenerimus.

## CAPUT XXXII.

## CONTINENS HISTORIAM DE SECESSU CHRISTI EX JUDÆA, PER SAMARIAM IN GALILÆAM, AC DE COLLOQUIO CUM SAMARITIDE, JOHAN. 4.

## RATIO ORDINIS.

**U**idam hanc historiam ponunt ante captivitatem Baptistæ, eò quòd initio hujus historia Evangelista dicit, Phariseos audivisse, quòd Jesus plures discipulos faceret, quàm Johannes scilicet faceret, docens adhuc & baptizans. Idem enim hoc esse, sentiunt cum eo, quòd ipsi discipuli Baptistæ conquesti sunt, Joh. 3. v. 26. Existimant igitur, hunc esse ordinem historiarum, quòd Jesus, cum intellexisset, sibi parari insidias, secesserit ex Judæa. Cum verò ipse in itinere esset: Phariseos, cum Jesum in Judæa non invenirent, Johannem tradidisse Herodi, quòd in itinere Jesus, priusquàm in Galilæam perveniret, factum audierit. Sed Matthæus dicit, Jesum, cum audivisset Johannem traditum, non tantum venisse, sed secessisse in Galilæam, scilicet ex Judæa. Rectè igitur & commodissimè historia captivitatis Baptistæ ponitur ante hunc secessum Christi ex Judæa: sicut & Gerson fecit, & verba Evangelistæ ita intelligenda sunt. Phariseos audivisse, Jesum plures facere discipulos, quàm Johannes, scilicet antea priusquam caperetur, fecisset. Ita ἀνορθία & harmonia historiarum pulchrè cohærebit. Matthæus & Marcus dicunt, Christum post traditum Johannem secessisse in Galilæam: Quomodo verò secessio illa facta sit, Johannes describit.

Porro in Prolegomenis ostendi, in hac historia constitui posse initium secundi anni ministerii Christi, ut finis primi anni sit captivitas Baptistæ. Dicit enim in hac historia Christus, quatuor menses adhuc superesse ad messem, quæ in Palæstina post festum Paschatis inchoata fuit, sicut ostendimus. Et semper sub initium novi anni Christus novam aliquam memorabilem suscipit profectionem. Accedit, quòd Epiphanius contra Alogos dicit, cursum primi anni ministerii Christi fuisse absque persecutione, tranquillum & placidum. Atque huc accommodat illud Jesaiæ, Prædicate annum Domini acceptum. Videtur itaque hæc historia, in qua Christus propter imminentem persecutionem fugit, pertine-

re ad secundum annum. Et hanc distributionem annorum constitueram in Harmonia sequi. Sed quia non libenter à communi sententia, quando nihil habet periculi vel absurdi, discedo: & plerique tempus Christi baptizati, unde initium annorum ministerii ejus sumendum est, sentiunt, non tam longè à Paschatis Festo abfuisse: sicut Epiphanius existimat, in Novembri Christum baptizatum. Communis etiam sententia est, Johannem primis quatuor capitibus, acta primi anni ministerii Christi à reliquis præterita, describere: Matthæum verò, Marcum, & Lucam, à tentationibus Christi statim digredi ad acta secundi anni. Ideò historias quarti capituli Johannis volui adjungere actis primi anni, ut initium secundi anni constituatur in illis, quæ Matthæus, Marcus, & Lucas describunt, Jesum doctrina & miraculis in Galilæa claruisse. Verba igitur Marci i. v. 14. & Luc. 4. v. 14. de Jesu veniente in virtute Spiritus in Galilæam, ac docente ibi in Synagogis, non volui huic quarto capiti Johannis miscere: sed reservavi ea, usq; ad initium secundi anni, quando publicè Jesus in Synagogis Galilææ incipit docere: sicut c. 3. 4. rationem exponam. Verbo verò Matthæi cap. 4. v. 12. de secessu Christi in Galilæam, verbis Johannis conjunxi, ut utraque causa secessus ex Judæa conjungatur, quia Matthæus disertè utitur verbo ἀναχωρῆσθαι, secedendi ex Judæa scilicet.

Quia verò rationes non sunt evidentes, aut necessariæ, sed in utramque partem disputari possunt, ideò utramque distributionem in elencho ponam, relinquens lectori judicium. Hanc verò sine præjudicio in Harmonia sequar, ut Johannes suo supplemento terminet primum annum, ita ut finis primi anni ministerii Christi sit profectio ejus ex Judæa per Samariam in Galilæam, & sanctio filii Reguli. Ac initium secundi anni faciant Marcus & Lucas, quomodo publicè in Synagogis Galilææ doctrina & miraculis Christus cœperit inlarefcere.

— (o) —

Z 2

Histo-

HISTORIA SECESSIONIS CHRISTI EX JUDÆA IN GALILÆAM; ITEM, DE COLLOQUIO CHRISTI CUM SAMARITANA MULIERCULA, AC DE MULTIS SAMARITANIS CONVERSIS,

Matth. 4. Johan. 4.

- 1. a Ακούς (ας) ὁ Ἰησοῦς, ὅτι Ἰωάννης παρεδόθη, ἀ (καί) αἰς ἔργον ὁ Κύριος ὅτι ἤκουσαν οἱ Φαρισαῖοι, ὅτι Ἰησοῦς πλεονεκτος μαθητῆς ποιεῖ καὶ βαπτίζει ἠλιανῆς.
- 2. (Καὶ τοιγε Ἰησοῦς αὐτὸς ἐκ ἐβάπτισεν, ἀλλ' οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ.)
- 3. a Ανεχώρησεν, ἀ ἀφῆκε τὴν Ἰουδαίαν, καὶ ἀπέβη εἰς τὴν Γαλιλαίαν.
- 4. Ἐδεῖ ἡ αὐτὸν διέρχεσθαι διὰ τῆς Σαμαρείας.
- 5. Ἐρχεῖ) ἐν εἰς πόλιν τῆς Σαμαρείας λεγομένην Σιχαρ, πλησίον ἑ χωρίου ὃ ἐδωκεν Ἰακώβ Ἰωσήφ τῷ υἱῷ αὐτοῦ.
- 6. Ἦν ἡ ἐκεῖ πηγή ἑ Ἰακώβ· ὃ ἐν Ἰησοῦς κεκοπιμακώς ἐκ τῆς ὁδοιπορίας, ἐκαθίστη ἑ ὅτι ἑ Ἰησοῦς τῆ πηγῆ ὠρα ἑ ὡσεὶ ἐκτῆ.
- 7. Ἐρχεῖ) γυνὴ ἐκ τῆς Σαμαρείας ἀντλήσασα ὕδωρ· λέγει αὐτῇ ὁ Ἰησοῦς· Δός μοι πιεῖν.
- 8. Οἱ ῥῥῥ μαθηταὶ αὐτοῦ ἀπελυθῆσαν εἰς τὴν πόλιν, ἵνα τροφῆς ἀγοράσωσι.
- 9. Λέγει ἐν αὐτῇ γυνὴ Σαμαρείτις· Πῶς σὺ Ἰουδαῖος ὢν ἀσπῆ εἰ μὲν πιεῖν αἰτέεις, ἑσῆς γυναικὸς Σαμαρείτιδος; οὐ ῥῥῥ συνήχρωσάν) Ἰουδαῖοι Σαμαρείτας.
- 10. Απεκρίθη Ἰησοῦς, καὶ εἶπεν αὐτῇ· Εἰ ἤδεις τὴν δωρεάν ἑ ὁ Θεὸς, καὶ τίς ἔστιν ὃ λέγων σοι· Δός μοι πιεῖν· σὺ ἀνῆχθῆς αὐτὸν, καὶ ἐδωκεν ἑ σοι ὕδωρ ζῶν.
- 11. Λέγει αὐτῇ γυνὴ· Κύριε, ἑπ' ἀντλήματα ἔχεις, καὶ τὸ Φρέαρ ἑ ἑ βαθεῖ· πῶς ἔστιν ἑ ἔχεις τὸ ὕδωρ τὸ ζῶν;
- 12. Μὴ σὺ μείζων εἶ ἑ πατρὸς ἡμῶν Ἰακώβ, ὃς ἐδωκεν ἡμῖν τὸ Φρέαρ; καὶ αὐτὸς ἐξ αὐτοῦ ἐπιε, καὶ οἱ υἱοὶ αὐτοῦ, καὶ τὰ βρομματα αὐτοῦ;
- 13. Απεκρίθη ὁ Ἰησοῦς, καὶ εἶπεν αὐτῇ· Πᾶς ὃ πίνων ἐκ ἑ ὕδατος τῆς, διψῆσει παλιν.
- 14. Ὃς ἡ ἀν πῆ ἐκ ἑ ὕδατος, ἑ ἐγὼ δώσω αὐτῷ, ἑ μὴ διψῆσει εἰς τ' αἰῶνα· ἀλλὰ τὸ ὕδωρ ὃ δώσω αὐτῷ, γίνεσθαι ἐν αὐτῷ πηγή ὕδατος· ἀλλομένης εἰς ζωὴν αἰώνιον.
- 15. Λέγει πρὸς αὐτὸν ἡ γυνὴ· Κύριε, δός μοι τῆσ' τοῦ ὕδατος, ἵνα μὴ διψῶ, μηδὲ ἐρχώμαι ἐνθάδε ἀντλεῖν.
- 16. Λέγει αὐτῇ ὁ Ἰησοῦς· Ἰταγε, φώνησον τ' ἄνδρα σου, καὶ ἐλθέ ἐνθάδε.
- 17. Απεκρίθη ἡ γυνὴ, καὶ εἶπεν αὐτῷ· Οὐκ ἔχω ἄνδρα. Λέγει αὐτῇ ὁ Ἰησοῦς· Καλῶς εἶπας· Ὅτι ἄνδρα ἑ ἔχω.
- 18. Πέπει ῥῥ ἄνδρας ἔχεις, καὶ νῦν ἑ ἔχεις, ἑ ἐστὶ σου ἀνήρ· τῆτο ἀληθῆς εἰρηκας.
- 19. Λέγει αὐτῷ ἡ γυνὴ· Κύριε, θεωρῶ, ὅτι προφήτης εἶ σὺ.
- 20. Οἱ πατέρες ἡμῶν ἐν τῆτο τῷ ὄρει προσεκύνησαν, καὶ ὑμεῖς λέγετε, ὅτι ἐν ἱεροσολύμοις ἔστιν ὁ τοπος ὅπου δεῖ προσκυνεῖν.
- 21. Λέγει αὐτῇ ὁ Ἰησοῦς· Γυναί, πιστευσόν μοι, ὅτι ἐρχεται ὠρα, ὅτε ἑτε ἐν τῷ ὄρει τῆτο, ἑτε ἐν ἱεροσολύμοις προσκυνήσετε τῷ πατρί.
- 22. Ἰμεῖς προσκυνεῖτε, ὃ ἐκ οἰδατε· ἡμεῖς προσκυνῶμεν, ὃ οἰδάμεν· ὅτι σωτηρία ἐκ τῶν Ἰουδαίων ἐστίν.
- 23. Ἀλλ' ἐρχεται ὠρα, καὶ νῦν ἔστιν, ὅτε οἱ ἀληθῖνοι προσκυνῆσαι προσκυνήσασιν τῷ πατρί ἐν πνεύματι καὶ ἀληθείᾳ· καὶ ῥῥ ὁ πατὴρ τοῦτέεις ζητεῖ τῆς προσκυνήσας αὐτοῦ.
- 1. a Cūm audisset autem Jēsus, quod Iohannes traditus esset, d (S) ut cognovit Dominus audisse Pharisaeos, quod Jēsus plures discipulos faceret S baptizaret, quam Iohannes.
- 2. (Quāquam Jēsus ipse non baptizaret, sed discipuli ejus.)
- 3. a Secessit, d reliquit Iudeam, S abiit iterum in Galileam.
- 4. Oportebat autem eum transire per Samariam.
- 5. Venit ergo in civitatem Samaria, quae dicitur Sichar, juxta pradium, quod dedit Iacob Joseph filio suo.
- 6. Erat autem ibi fons Iacob: Jēsus ergo fatigatus ex itinere, sedebat sic super fontem: hora erat ferme sexta.
- 7. Venit mulier Samaritana, ut hauriret aquam: Dicit ei Jēsus: da mihi quod bibam.
- 8. Nam discipuli ejus abierant in civitatem, ut cibos emerent.
- 9. Dicit ergo ei mulier illa Samaritana: Quomodo tu, Iudeus cum sis, potum à me poscis, quae sum mulier Samaritana? Non enim commercium habent Iudaei cum Samaritanis.
- 10. Respondit Jēsus, S dixit ei: Si scires donum Dei, S quis sit, qui dicit tibi: Da mihi, quod bibam: tu petisses ab eo, S dedisset tibi aquam vivam.
- 11. Dicit ei mulier: Domine, neque quo haurias habes, S puteus profundus est: unde ergo habes aquam illam vivam.
- 12. Num tu major es patre nostro Iacob, qui dedit nobis puteum? S ipse ex eo bibit, S filii ejus, S pecora ejus.
- 13. Respondit Jēsus, S dixit ei: Omnis, qui bibit ex aqua hac, sitiet iterum:
- 14. Quisquis autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in aeternum: sed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam.
- 15. Dicit illi mulier: Domine, da mihi istam aquam, ut non sitiam, neq; veniam huc ad hauriendum.
- 16. Dicit ei Jēsus, vade, voca virum tuum, S veni huc.
- 17. Respondit mulier, S dixit ei: Non habeo virum. Dicit ei Jēsus: Bene dixisti: non habeo virum.
- 18. Quinque enim viros habuisti: S nunc quem habes, non est tuus vir. Hoc verè dixisti.
- 19. Dicit ei mulier: Domine, video, quod Propheta es tu.
- 20. Patres nostri in monte hoc adoraverunt, S vos dicitis, quod Hierosolymis est locus, ubi oporteat adorare.
- 21. Dicit ei Jēsus, Mulier, crede mihi, venit hora, quando neq; in monte hoc, neq; Hierosolymis adorabitis Patrem.
- 22. Vos adoratis, quod nescitis quos adoramus, quod scimus: quia salus ex Iudaeis est.
- 23. Sed venit hora, S nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu ac veritate: nam S Pater tales querit, qui adorent ipsum.



24. Πνεῦμα ὁ Θεός· καὶ τὴς προσκυνῶντας αὐτὸν, ἐν πνεύματι καὶ ἀληθείᾳ δεῖ προσκυνεῖν.
25. Λέγει αὐτῷ ἡ γυνὴ· Οἶδα, ὅτι Μεσσίας ἐρχεται, ὁ λεγόμενος Χριστός· ὅταν ἔλθῃ ἐκεῖνος, ἀναγγελεῖ ἡμῖν πάντα.
26. Λέγει αὐτῇ ὁ Ἰησοῦς· Εγὼ εἰμι, ὁ λαλῶν σοι.
27. Καὶ ἄπι τὴν ἡλθον οἱ μαθηταὶ αὐτῆς, καὶ ἐθαύμασαν, ὅτι μετὰ γυναικὸς ἐλάλει· ἄδεις μὲντοι εἶπε· τί ζητεῖς; ἢ, τί λαλεῖς μετ' αὐτῆς;
28. Αἶφην ἐν τῷ ὕδατι αὐτῆς ἡ γυνὴ, καὶ ἀπῆλθεν εἰς τὴν πόλιν, καὶ λέγει τοῖς ἀνδράσιν·
29. Δεῦτε, ἴδετε ἀνδράσιν, ὃς εἶπέ μοι πάντα ὅσα ἐποίησα μὴ τι εἶπέν· ἐστὶν ὁ Χριστός·
30. Ἐξῆλθον ἐν εἰ τῆς πόλεως, καὶ ηρχοντο πρὸς αὐτόν.
31. Ἐν τῷ μετὰ εὐ ηρχοντο αὐτὸν οἱ μαθηταὶ, λεγοντες· Ῥαββί, φαγε.
32. Ὁ Ἰησοῦς εἶπεν αὐτοῖς· Εγὼ βρώσιν ἔχω φαγεῖν, ἣν ὑμεῖς οὐκ οἶδατε.
33. Ἐλεγον ἔτι οἱ μαθηταὶ πρὸς ἀλλήλους· Μή τις ἦνευγεν αὐτῷ φαγεῖν;
34. Λέγει αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς· Ἐμὸν βρώμα ὄν, ἵνα ποιῶ τὸ θέλημα τοῦ πέμψαντός με, καὶ τελειώσω αὐτῷ τὸ ἔργον.
35. Οὐχ ὑμεῖς λέγετε, ὅτι ἐτι τετράμηνός ἐστι, καὶ ὁ Θεός ἐρχεται; Ἰδὲ, λέγω ὑμῖν, ἐπάρατε τὰς ὀφθαλμοὺς ὑμῶν, καὶ θεασάσθε τὰς χώρας, ὅτι λευκαὶ εἰσι πρὸς θερισμὸν ἤδη.
36. Καὶ ὁ θερίζων μισθὸν λαμβάνει, καὶ συνάγει καρπὸν εἰς αἰὼν αἰώνιον· ἵνα καὶ ὁ σπείρων ἡμῶν χαίρῃ, καὶ ὁ θερίζων.
37. Ἐν ᾧ τῷ λόγῳ ἐστὶν ὁ ἀληθινός, ὅτι ἄλλος ἐστὶν ὁ σπείρων, καὶ ἄλλος ὁ θερίζων.
38. Εγὼ μὴ ἀπέστειλα ὑμᾶς θερίζειν ὁ ἔρχομαι ὑμᾶς κεκοπιῶκατε· ἄλλοι κεκοπιῶκασι, καὶ ὑμεῖς εἰς τοὺς κόπων αὐτῶν εἰσεληύθατε.
39. Ἐκ τῆς πόλεως ἐκεῖνης πολλοὶ ἐπίστεισαν εἰς αὐτὸν τῶν Σαμαρειτῶν, διὰ τὸν λόγον τῆς γυναικὸς μαρτυρήσας· ὅτι εἶπε μοι πάντα ὅσα ἐποίησα.
40. Ὡς ἂν ἦλθον πρὸς αὐτὸν οἱ Σαμαριῖται, ἠρώτων αὐτόν, μένει παρ' αὐτοῖς; καὶ ἐμεινεν ἐκεῖ δύο ἡμέρας.
41. Καὶ πολλὰ πλείους ἐπίστεισαν διὰ τὸν λόγον αὐτοῦ.
42. Τῆς γυναικὸς ἔλεγον· Ὅτι ἐκέπῃ διὰ τὴν σὺν λαλιᾷ πιστεύομεν· αὐτοὶ δὲ ἀκηρόαμεν, καὶ οἶδαμεν ὅτι αὐτός ἐστιν ἀληθῶς ὁ σωτὴρ τοῦ κόσμου, ὁ Χριστός.
24. Spiritus est Deus: & eos, qui adorant eum, Spiritu ac veritate oportet adorare.
25. Dicit ei mulier: scio, quod Messias venturus est, qui dicitur Christus: cum ergo venerit ille, nobis nuntiabit omnia.
26. Dicit ei Jesus: Ego sum, qui loquor tibi.
27. Et interim venerunt discipuli ejus, & mirabantur, quod cum muliere loqueretur: nemo tamen dixit: Quid queris? aut cur loqueris cum ea?
28. Reliquit ergo hydriam suam mulier, & abiit in civitatem, & dicit illis hominibus:
29. Venite, videte hominem, qui dixit mihi omnia, quaecumque feci: num hic est ille Christus?
30. Exierunt ergo e civitate, & veniebant ad eum.
31. Interea rogabant eum discipuli, dicentes: Rabbi, comede.
32. Ille autem dixit eis: Ego cibum habeo comedendum, quem vos nescitis.
33. Dicebant ergo discipuli inter se: Nunquis attulit ei quod ederet?
34. Dicit eis Jesus: Meus cibus est, ut faciam quod vultis, qui misit me, & perficiam opus ejus.
35. Nonne vos dicitis, adhuc quatuor menses sunt, & messis veniet? Ecce dico vobis, attollite oculos vestros, & videte regiones, quoniam albae jam sunt ad messem.
36. Et qui metit, mercedem accipit, & congregat fructum in vitam aeternam: ut, & qui seminat, simul gaudeat, & qui metit.
37. In hoc enim est sermo verus, quod alius est, qui seminat, & alius est, qui metit.
38. Ego misit vos ad metendum, quod vos non laborastis: alii laboraverunt, & vos in labores eorum introistis.
39. Ex civitate autem illa multi crediderunt in eum Samaritanorum, propter sermonem mulieris testificantis, quod dixisset sibi omnia, quaecumque fecisset.
40. Cum venissent ergo ad illum Samaritani, rogaverunt eum, ut apud se maneret: & mansit ibi duos dies.
41. Ac multo plures crediderunt propter sermonem ipsius.
42. Et mulieri dicebant: Jam non propter tuam orationem credimus: ipsi enim audivimus, & scimus, quod hic est verè Servator mundi, Christus.

## Periochahujus Historia.

Hæc historia nobis grata esse debet. Continet enim descriptionem de Samaritanis quibusdam conversis, qui primitia sunt eorum, quos alienos à Republica Israël Christus ministerii sui tempore ad communionem Evangelii vocavit. Ordine autem textum & circumstantias historiae considerabimus. Ac principio observatio Chronographiæ aliquid monet. Suprà diximus, post Pentecosten, hoc est, post colloquium cum Nicodemò, Jesum venisse in terram Judææ. Et jam, cum ex Judæa secedit, quatuor menses restant ad messem. Circiter sex menses igitur Jesus, docendo & baptizando, in Judæa commoratus fuit propter illam causam, quod principia teneret & nascentis Ecclesiæ, quam suo & discipulorum

ministerio colligebat, hoc flagitabant, ut aliquantulum illa confirmaretur, & quia Baptista, cujus auctoritati universus populus addictus erat, auditores suos à se ablegabat, & ad ipsum Christum adducebat: sicut hæc suprà explicata sunt. Nunc verò, quarto mense ante messem, Jesus relicta Judæa descendit in Galilæam: cujus secessionis causâ Evangelistæ videntur non uno modo describere. Matthæus enim inquit: (Cum audisset Jesus Baptistam traditum, secessit in Galilæam.) Johannes verò dicit, (propter Phariseos) hoc factum: quæ inter se non pugnant, sed altera causâ per alteram declaratur; Pharisei enim ideò Baptistam, sicut in præcedenti historia diximus, tradiderunt Herodi, ut ipsum in carcerem concluderet, quia ho-

mines, à Pharisaicis traditionibus abductos, sibi discipulos adjunxerat: mox verò post traditum Johannem animadvertunt, se id, quod querebant, traditione Baptistæ nondum effecisse aut consecutos esse, ut scilicet omnes homines ad Pharisaicum fermentum redirent, sed audiunt, forsàn ex Judæis, qui cum Johannis disputarent, Joh. 3. v. 2, 5. Baptistam omnes suos auditores ablegasse ad Jesum Nazarenum, qui post traditum Baptistam plures jam haberet discipulos, quàm Johannes unquam habuisset. Quia igitur videbant, Herodi non infeliciter cessisse, quòd Baptistam, qui in tanta apud universum populum auctoritate fuerat, in vincula coniecisset: cœperunt & ipsi consilia agitare, quomodo Jesum, cum nascente ipsius Ecclesia, inter prima principia, priusquàm ad florem aut maturitatem perveniret, opprimere & extinguere possent. Et hæc est prima adversariorum persecutio (quæ quidem descripta extat,) contra Christum & nascentem ipsius Ecclesiam, non verbis, sed vi & gladio armata. Monet autem hæc observatio ordinis, quàm fidelis Deus sit in gubernatione suæ Ecclesiæ, quàm non sinit tentari supra id, quòd ferre potest. Ecclesiam enim, quam tempore ministerii sui Christus collegit, non statim in ipso ortu sævis & immanibus persecutionum fluctibus objecit: sed primo anno tribuit ei halcyonia (sicut dicitur) ut posset primum colligi, institui, & aliquantulum confirmari.

Cùm igitur Jesus cognovisset, Phariseos talia meditari & conari, relicta Judæa reversus est in Galilæam: 1. ideò, ut longius aliquantò ex Phariseorum oculis discederet: & quia in Galilæa, quæ Herodi subjecta erat, Pharisei non tanta potentia dominabantur, sicut in ea parte, quæ propriè Judæa vocabatur. Sicut & Apostoli in postremo anno suadent Christo, ne ascendat Hierosolymam, sed maneat in Galilæa. Et idem etiam Johan. 7. in principio v. 1. describitur. 2. Quia post traditum Baptistam, Jesus Evangelii negotium, pleniori ac manifestiori quàm hætenus virtute aggressurus erat, quòd in Galilæa futurum Prophetæ prædixerunt, sicut Matthæus cap. 4. v. 15. indicat. 3. Mirum videtur, quòd Jesus, fugiens Phariseorum persecutionem, in Galilæam secedat, cum Herodi, qui Johannem vinxerat, illa subjecta esset. Sed ita ostendere voluit, pios in hac vita, quos fugiant, habere; ad quos verò fugiant, ut in tuto sint, non habere, nisi ad te, Deus, qui solus refugium nostrum es.

Duæ autem de hac secessione Christi quæstiones moventur, quarum explicatio aliquid utiliter monere potest, illas brevissimè expediem⁹. Quare scilicet Christus persecutionem & mortem nunc fugiat, cum ideò in hunc mundum venerit, ut patiatur & moriatur? Vera autem & simplex responsio est, quam Christus ipse tradit Joh. 14. v. 31. Sicut mandatum mihi dedit Pater, ita facio. Item Iohan. 6. vers. 38. Veni, non ut meam voluntatem faciam, sed ejus, qui me misit, Patris. Item: Joh. 7. v. 30. Nondum venit hora mea. Non igitur voluit nec debuit persecutionem, passionem & mortem, priusquam à Patre imponeretur, sibi accersere, sed, vocationi obtemperans, usus est mediis, quæ nec impia nec illegitima erant, ut suo exem-

plo confirmaret doctrinam illam, Matth. 10. v. 23; si persecuti vos fuerint in una civitate, fugite in aliam. Rectè igitur Augustinus inquit: fecit hoc magister ille bonus, non quòd timeret, sed, ut doceret, quemque scilicet in vocatione sua ita debere ambulare, ne tentet Deum. Voluit etiam Christus hac secessione Ecclesiæ suæ, quam in terra Judææ ministerio suo colligere primum cœperat, quia valdè tenera adhuc erat, parcere, ut posset interea plenius institui, confirmari, & propagari.

Altera quæstio est, quare Christus nefarios illos Phariseorum conatus, vel miraculo, vel omnipotentia sua non represserit, ut non opus fuisset fugere? Et nobis quidem non est omnium operum Dei ratio curiosius inquirenda, quæ in Verbo Dei patefacta non est: sed hujus quæstionis explicatio & in Scriptura tradita est, & præbet dulcissimam consolationem. Missus enim fuit Christus, non ut potentiam suam manifestè contra adversarios exerceret: sed exinanivit se, Phil. 2. v. 7. tentatus per omnia, Heb. 4. v. 15. ut ex ipsius exemplo in persecutionibus & tentationibus spem conciperemus, sicut inquit, Matth. 10. v. 24. Non est discipulus supra magistrum. Et Johan. 15. v. 20. Si me persecuti sunt, & vos persequentur. Quòd si Christus adversariorum suorum conatus manifesta potentia statim fregisset, & omnia adversa statim repulisset, quid nos spei aut consolationis ex Christi persecutionibus concipere possemus, quando in summa infirmitate adversariorum libidini objecti & quasi deserti videmur? Responsaret enim conscientia: Ecce dissimilitudo potentia in persecutionibus Christi, & infirmitatis in tuis tentationibus, ostendit, te non esse conformem imagini Filii Dei. Christus igitur in persecutionibus exinaniens se ipsum in summam infirmitatem se dejecit, 2. Cor. 13. v. 4. ut eò rectius exempli persecutionum ipsius ad nostram consolationem accommodare possemus. Voluit enim in se ostendere, quomodo potentia Dei in infirmitate perficiatur, 2. Cor. 12. v. 9. Et hæc est prima pars hujus historiæ, de causis secessione Christi ex Judæa in Galilæam. Illa enim sententia, quòd Jesus non per se, sed ministerio discipulorum, baptizavit, in 29. cap. Harmoniæ explicata est.

Quia verò rectissima via euntibus in Galilæam, ex illa parte Judææ, in qua Christus versatus fuerat, est per Samariam, Luc. 9. v. 52. occasione hujus profectiois Christus incidit in colloquium cum Samaritide: quam occasionem, Cyrillus existimat Evangelistam ideò notasse, ne Judæi Jesum ideò rejicerent, quòd Samaritanis se conjunxisset. Minister enim circumfisionis debebat Messias esse, Rom. 15. v. 8. Est autem pulcherrimum colloquium & dignum diligenti observatione. Hæc enim prima concio est, qua Filius Dei, tempore ministerii sui, doctrinam Evangelii etiam inter illos, qui alieni erant à politia Israël, sparsit. Et quia ad nos etiam, qui, cum longe essemus, vocati sumus ad communionem Christi & Evangelii ipsius, hoc pertinet, dicenda prius quædam sunt de Samaritanis: qui & quales fuerint. Ita enim illustrior erit accommodatio hujus historiæ de institutione, conversione & fide eorum, qui extranei à testamentis populi Dei, vocati sunt ad communionem Christi. Sa.

fiti. Samaria igitur illa Palæstinae regio est, quæ olim à tribu Ephraim, & dimidia tribu Manasse, inhabitata, inter Judæam & Galilæam sita est. Illa à doctrina & religione populi Dei primum deficere cœpit sub Jeroboam, 3. Reg. 12. v. 26. Nomen verò Samariæ sub Amri, qui tempore Asa regnavit, accepit, 3. Reg. 16. v. 24. quo nomine in Prophetis postea appellata legitur, quando idololatriam decem tribuum reprehendunt.

Abductis verò decem tribubus in exilium, coluvies quædam gentium in locum expulsorum, quasi in coloniam, submissa fuit. Illi verò, qui desertas Samariæ urbes occupaverant, gentilem planè religionem in illas intulerunt. Cùm verò leones, à Domino immissi, terram vastarent, & res ad regem Assyriorum delata esset, captivi ex decem tribubus dixerunt, causam hanc esse, quòd terra illa destinata esset cultui veri Dei, juxta ritus in Lege præscriptos. Noluerunt autem consultores illi ex Hierusalem Sacerdotem accersi, qui in sana doctrina colonos Samariæ institueret: sed suaserunt, ut ex captivis Sacerdotibus quispiam mitteretur, qui corruptum cultum à Jeroboam institutum, & à posteris auctum, ibi rursus institueret. Adeò falsa religionis persuasio ne per exilia quidem, ut manifestè divina pœna, in Israeliticis istis corrigi potuit. Qui igitur tunc ex gentibus Samaritani facti fuerant, legalia quædam, sicut ea didicerant ex Sacerdote Jeroboam, susceperunt: nihilominus tamen etiam ritus ethnicae religionis servabant. Ita ex duobus corruptis composita tunc fuit religio Samaritanorum, 4. Reg. 17. v. 24. & apud Iosephum lib. 9. Postea verò, abducta etiam tribu Juda & Benjamin, valdè potentes facti sunt Samaritani, & Judæis, ab exilio Babylonico redeuntibus, ædificationem templi variis & miris modis impediabant, sicut testatur liber Esdræ & Nehem. Et tanta tunc fuit illorum auctoritas & potentia apud reges Persiæ, ut illi etiam, qui ex genere Pontificio erant, conjunctionem cum illis, quaererent. Elias enim nepos Jesu illius, qui cum Zorobabel populum ex Babylone reduxerat, dicitur propinquus factus fuisse Tobia Samariæ præfecto, Nehem. 13. v. 4. Et sicut Iosephus Antiq. 11. c. 7. & 8. scribit, tempore Darii, postremi regis Persarum, erat quidam Sanaballath, Regis per Syriam præfectus valdè potens, ejus filiam Isachan Manasses, frater Iaddi summi Pontificis, filius Iohannis summi Pontificis, uxorem duxit, ut ejus potentia se muniret. Sed propter illam affinitatem communibus populi suffragiis Sacerdotio dejectus, & terra Judæa expulsus fuit. Hujus historiae etiam Nehemias cap. 13. in fine v. 28. meminit. Socer verò Sanaballath veritus, ne Manasses filiam ipsius repudjaret, promisit, se ei ædificaturum templum in Samaria, quod Hierosolymitano nihil cederet, in quo majore splendore, quàm Hierosolymis, sacerdotio fungi posset, & totis nomine se totam Samariam ipsi daturum, quia senex erat pollicitus est. Hic cùm postea Alexandrum, contra Darium regem suum, pecunia & copiis juvisset, partà victorià facilè ab ipso impetravit facultatem condendi novi templi, & Samaritani, qui ardebant odio contra Judæos, cupidè assenserunt. Hoc modo in monte excelso Garizim ædificatum fuit templum Samaritanorum, Manasses verò volebat

Pontifex esse eorum, qui simpliciter Judæi non erant, multos igitur ex Judæis ad defectionem ad se pertraxit, & pollicitationibus & donis. Sanaballath enim socer illis, qui à Judaismo ad Manassem deficiebant, dabat terram in Samaria. Hinc factum fuit, quòd plerique, qui propter scelera inter Judæos locum habere non poterant, profugerent in Samariam. Ibi enim honorificè excipiebantur, ut Samaria esset quasi asyllum sceleratorum & profugorum ex Judæa. Et hinc templum illud vocatum fuit mons transgressorum. Hæc commentatio illustrat descriptionem Iohannis de Samaritide, quæ scilicet causa fuerit acerbi illius dissidii & odii inter Judæos & Samaritanos, sicut muliercula hæc, vel Evangelista potius per parenthesis, dicit, (*Judæi abominantur consuetudinem cum Samaritanis.*) Prætebant enim mandatum Dei Exod. 23. v. 32. Deut. 7. v. 2. non esse fœdus ineundum cum gentibus. Potest etiam hinc intelligi, quare Luc. 9. v. 53. Samaritani profecturis ad templum Hierosolymitanum nolint transitum præbere. Colligitur etiam hinc, quare muliercula Joh. 4. v. 20. dicat, (*Patres nostri &c.*) Item v. 25. (*Scimus venturum Messiam.*) Samaritani enim, de quibus Evangelica historia loquitur, non simpliciter gentiles fuerunt: sed Apostatae ex Judæis, in unam massam commixti cum gentibus. Religionem enim eorum sine Verbo Dei institutam fuisse, Christus ostendit, cùm inquit: (*Vos nescitis, quid adoretis.*) Prætextum verò ex *κατοχλιζ* Patrum quaesiverunt: (*Patres nostri in hoc monte adorarunt.*) Triplex igitur fuit Samaritanismus, primus tempore Jeroboam, anno mundi 2970. post conditum primum templum anno 30. & anno 990. ante Christum natum. Secundus Samaritanismus missis in Samariam colonis ethnicis cœpit, anno mundi 3220. post primum templum anno 280. ante Christum natum 740. Tertius Samaritanismus condito templo in monte Garizim cœpit, annis post conditum secundum templum 190. antè incoationem ministerii Christi annis fere 363. Potuissent igitur Samaritani longa temporis præscriptione religionem suam tueri. Hæc historica ideo adscripti, ut intelligi possit, quales fuerint Samaritani, alieni scilicet à politia & religione Israelis. Ita enim Luc. 17. v. 18. Samaritanum Christus vocat *αλλογενής*, & Matth. 10. v. 5. Apostolis, quos tunc emittebat ad oves domus Israel, via gentium & civitatibus Samaritanorum interdicit. Quia igitur hæc historia primam concionem describit, qua Filius Dei, tempore ministerii sui, ab ovili domus Israel digrediens, Samaritanos instituit, convertit, & ad veram fidem adduxit, illustre exemplum est, quomodo in ipsis primitiis ostenderit, & quasi consecravit rationem seu formam institutionis, conversionis & fidei eorum, qui alieni ab ovili domus Israel ad communionem regni Dei vocantur, quales nos omnes sumus. Et ordo observetur, quòd Christus in ministerio suo primum Judæis Evangelium prædicavit, deinde Samaritanis, qui quasi mediæ erant inter Judæos & gentes: postea habebimus exempla, quod etiam ex gentibus quosdam vocarit. Eodem modo etiam Apostoli post ascensionem Christi Judæos primum vocarunt: Postea Samaria accepit verbum Dei: Tertiò deinde inter gentes etiam

Evangelium prædicarunt. Hoc enim ordine ministerium ipsis mandatum fuit, Act. 1. v. 8. Eritis testes in Judæa, in Samaria, & usque ad extremum terræ.

Porrò colloquium Christi cum Samaritide Johannes prolixè & diligenter descripsit. Quid verò per biduum illud, cum reliquos Samaritanos institueret, prædicarit, non descriptum est: absque dubio ideò, quòd eadem fuerit sententia, quæ in colloquio cum Samaritide descripta est. Historiam igitur simplicissimè ita tractabimus, ut observari possit, quæ capita institutionis, conversionis & fidei Christus primùm in colloquio mulierculæ proposuerit, & postea per biduum ad reliquos Samaritanos repererit, qui juxta hanc doctrinam in Christum crediderunt.

Duplex autem via est ex Judæa per Samariam in Galilæam, una est per mediam Samariam, Luc. 17. v. 11. altera est in terminis Samariæ orientalibus per vallem regiam ad Jordanem, inter Jordanem & montana Acribitenæ, sicut Tabulæ ostendunt. Et in hac valle sita fuit Sichem. Jesus igitur non ingressus est civitatem Samaritanorum. Erat etiam minister circumfisionis, missus tantum ad oves perditas de domo Israel. Ideò etiam Apostolis postea hoc prohibet, Matth. 10. v. 5. Sed extra civitatem sumit talem locum, qui ipso aspectu, quia multas commonefactiones de Messia præbebat, meditandum ipsum retinebat. Hieronymus putat, corruptè pro Sichem legi Sichar: Sed illam sententiam simplicissimam esse judico, quòd tempore Evangelistæ civitas illa vulgari sermone dicta fuerit Sichar: & sit eadem, quæ in Veteri Testamento vocatur Sichem. Et historiam de Sichem, Gen. 33. v. 19. 34. v. 1. & 37. v. 12. pulchè huc quadrat: Quòd Iacob cum duodecim Patriarchis ibi habitavit, adoravit, fontem effoderit, prædium Josepho legavit. Ossa etiam Josephi in ea parte agri, propter fidem & expectationem Messia, sepulta fuerunt, Josuæ 24. 32. Non procul etiam à Sichem, sicut Hieron. scribit, in Salem Melchisedech habitaverat, & in monte vicino benedictiones, Deut. 27. v. 5. Jos. 8. v. 30. recitatae fuerant. Et Baptista nuper in Enon circa Salim propè Sichem baptizaverat. Fuit autem Sichem regia civitas tempore judicum, quam Abimelech solo æquavit, Judic. 9. v. 45. Jeroboam verò eam rursus ædificavit, 3. Reg. 12. v. 25. & pro regia sede usus fuit. Unde forsan vallis illa regia vocata est. Postea Amri ædificavit in Ephraim monte Someron civitatem ejusdem nominis, 3. Reg. 16. v. 24. Et ea civitate, quæ in de Samaria appellata fuit, sequentes Reges Israelitarum, pro regia sede usi sunt. Iosephus verò scribit, tempore Alexandri Magni Samariæ Metropolim rursus fuisse Sichem. Post Evangelistarum verò tempora Sichem iterum fuit restaurata, & mutato nomine dicta Neapolis: quæ patria fuit Justini martyris, & Hieronymi adhuc tempore appellationem illam retinuit. Fuisse autem Sichem illam non procul positam à monte Garizim, in quo templum Samaritanorum extructum fuisse diximus, colligitur ex 9. cap. Iud. v. 7. ubi vox stantis in vertice montis in ipsa hac civitate Sichem exauditur.

Narrat igitur Iohannes, Jesum (*hora sexta*) hoc est, ipso meridie (*venisse ad fontem Iacob.*) Et quia dies ille non fuit primus profectionis; secedens

enim ex terra tribus Iudæa ultra Ierusalem vix tertio die pervenit ad Sichem: Ideò dicit, Jesum (*defatigatum fuisse.*) & utitur verbo *κοπιώ* (*κοπιώ*, quo Cræci, Deut. 25. v. pen. & 2. Reg. 23. v. 10. reddiderunt verbum *עָבַד*, quod significat, quando membra ex labore contrahunt talem defatigationem, ut corpus anhelitum trahat, & quærat refocillationem. Et Iohannes, qui unus fuit ex comitibus, significat, se in Christo vidisse gestum hominis defatigatione quasi exhauriti, cum inquit: (*Conferat apud fontem etiam, sic.*) Quòd adverbium Chrysostomus ita interpretatur: Sedebat sic: hoc est, simpliciter, seu neglectim, prout locus ille admittebat. Alii ita accipiunt, quòd confederit eo modo, sicut solent sedere lassii, ipso corporis habitu fatigationem præ se ferens. Sedit autem (*ἵθι*, *juxta*, vel *super fontem,*) veluti ex aura fontis refrigerationem captans: præcipuè verò, quia illud de muliercula futurum prævidebat. Magna autem est exinanitio, quòd corpus illud, in quo tota plenitudo divinitatis, hoc est, omnipotentia divina, habitat, adeò defatigetur, ut, cum discipuli, itineris illius comites, adhuc possint civitatem pro emendis cibis ingredi, ipse fessus confideat. Sed externo hoc & sensibili exemplo voluit ostendere, quid sit exinatio. Assumit enim nostras etiam corporales & exteriores infirmitates, sine peccato, ut sciremus, ipsum, ut Pontificem tentatum per omnia, velle compati & succurrere non tantum in spiritualibus certaminibus, verum etiam in hujusmodi externis infirmitatibus, Ebr. 2. v. 17. & 4. v. 15.

Sedens igitur Jesus ibi multa cogitavit de monumentis Messia, quibus locus ille insignitus erat & sine dubio doluit illa ipsa Patriarcharum monumenta, quæ commonefactiones esse debebant de Messia, transformata esse in Samaritanam idololatriam. Et muliercula *δεικνύω* inquit, (*in hoc monte patres nostri adoravunt.*) Hæc observatio topographiæ & lucis aliquid adfert historiæ, & præbet commonefactiones de multis rebus.

Occasionem autem ad concionem illam talem Christus sumit. Quia viaticum itinere bidui jam consumtum erat, & non vivebat ex mendicitate, miserat discipulos in civitatem, ut precio cibos compararent. Habuisse igitur Christum jam tum in oculis communibus pecuniolam, quæ ab auditoribus ad ipsius & discipulorum sustentationem contribuebatur, hinc etiam patet. Quia verò inter montana sita fuit Sichem, Iudic. 9. vers. 36. ut verisimile sit, ipsam siticulosam fuisse: mulier quædam Samaritana interea egressa est, ad hauriendam aquam. Ab illa igitur Christus petit potum, ad allevandam sitim & fatigationem: præcipuè verò, ut occasionem ita ad puicerrimum illud colloquium præberet. Sitis enim & potus postea obliviscitur. Muliercula verò ex lingua & habitu, sicut Chrysostomus inquit, agnoscens Iudæi à commercio Samaritanorum abhorrent, cujus causam jam exposuimus. Christus verò sumta inde occasione, ut desiderium sciscitandi & discendi in muliercula illa magis excitaret, per ænigma incipit loqui. Et quia doctrina pœnitentiæ & remissionis peccatorum in Prophetis sæpè proponitur sub metaphora sitis, terræ sterilis seu arida, & aqua

& aqua refrigerantis, refocillantis, vegetantis, Esai. 12. v. 3. 35. v. 7. 44. v. 3. & 55. v. 1. Jerem. 2. v. 13. Ezech. 47. v. 1. Joel 3. v. 18. Zach. 14. v. 8. Christus sub illis figuris incipit concionari de (aqua viva.) Per quam intelligit 1. charitatem & misericordiam Dei Patris erga nos in Christo Jesu. 2. meritum & gratiam, cujus plenitudo erat in Christo. 3. quod beneficia illa per Spiritum in credentes effundantur, ad remissionem peccatorum & vitam aeternam. De donis enim Spiritus, aqua metaphora explicatur, Johan. 7. v. 38. Vocat autem aquam *ζωα*, & ratione fontis Christi, in quo est, & ratione effectus: quasi vivificans aqua. Graeci enim verbum *ζω* saepe usurpant pro *ζωοποιεῖν*, vivificare, Psalm. 118. v. 17. 4. Reg. 1. v. 2. Effectus enim hujus aquae est talis vivificatio. Petita enim & accepta facit, ut dira sitis, agnitione peccatorum & sensu irae Dei excitata, in hac vita incipiat restinguui, ne in aeternum illa torqueamur, Lucae 16. v. 24. Sed habeamus vitam aeternam, hoc est, sit (fons saliens) hoc est, sicut Syrus reddidit *עבר* scaturiens, ebulliens (in vitam aeternam,) Syrac. 24. v. 29. scriptum est: qui bibunt me, adhuc sitient: quod non inopia, sed desiderium spiritualium subinde crescens, describitur. Et licet dona initio non sint perfecta: Christum tamen ipsum, ut scatebram vivam in habitantem habemus, unde contra sitim subinde suppeditatur succus vivificus. Augustinus dicit: Aquam putei, seu quae in cisterna est, saepe deficere, & facile exsiccare, quia ex aqua pluviali colligatur: vivam vero aquam vocari, quae ex vena perenni & non deficiente scaturit, ita ut non tantum ipsum fontem repleat, sed inde saliat, & toras etiam derivetur. Quae pulcherrime ad Christum conveniunt, vana est illa cogitatio, sicut Phisici dicunt, in aqua ductib? aquam tantum ascendere, quantum descendit: Ita Christus de caelo descendit, factus fons vitae, & ideo aqua illa salit, & rursus ascendit in caelum & in vitam aeternam, in illis, qui inde bibunt. Tantum enim ascendit, quantum descendit. Tota igitur doctrina justificationis, secundum omnia genera caularum, in hac metaphora aquae vitae proposita est: sicut plenius hoc posset declarari, sed servabimus instituta brevitate rationem.

(Tu,) inquit, (mibi) Judaeo negas potum hujus aquae, verum (si scires,) quantum & quale (donum) sit, quod Deus in eo, qui tibi nunc loquitur, hominibus offerat, (petisses ab eo aquam vivam,) quam ille tibi non, ut tu fecisti, negasset, sed mox (S) ultrò tibi eam (dedit.) Orditur itaque Christus concionem illam à querela, (Si scires donum Dei, peteres, ut darem tibi aquam vivam.) Vita aeterna enim est in Christo Mediatore, Pater illam vult donare propter Filium, Et Spiritus sanctus rivulos inde per ministerium verbi ad nos deducit. Sed nos miseri, nec scimus, nec cogitamus, quale & quantum sit illud donum, quod Pater in Filio nobis donat, & per Spiritum sanctum proponit. Ideò cum proponitur & offertur, non petimus, non desideramus, non quarimus, nec amplectimur illud, Et illustre exemplum est, quomodo animali homini doctrina Spiritus stulticia sit. Mulierculae enim huic parabola & aenigmata sunt, quae Christus dicit. Ideò festivè ridet magnificas illas promissiones, sicut in textu hoc manife-

stum est: (Cum non habeas situlam, quae ex hoc puteo haurias: nec major sis patre nostro Jacob, qui ex hoc fonte cum suis bibit.) Adeò bona & abundans est haec aqua, quomodo igitur tu videris aquam praestantiorē promittere? Ad hoc Christus respondet, ex discrimine aquae corporalis, quae sitim quidem sedat, sed ad tempus solum, ut iterum alia nova aqua opus sit: spiritualis verò haec aqua perpetuam habet efficaciam, ariditatem & sitim spirituales restinguendi. Sicut enim is sitire nunquam posset, qui in visceribus suis haberet fontem perpetuò scaturientem, inquit Chryostomus: ita in quibus per fidem inhabitat Christus. Eph. 3, 17. quia ipsum fontem aquae vitae in se habent, non sitient in aeternum. Imò (hic fons saliet in vitam aeternam.) Data opera autem Christus hunc ordinem servavit, ut principium colloqui non ordiretur à concione poenitentiae, sed prius exponeret doctrinam justificationis. Voluit enim ostendere, quanta sit depravatio in mente, voluntate & corde hominis non renati, etiam quando gratia Dei in Evangelio proponitur & offertur, nisi prius excitata sit sitis. Mox verò postea docet, quam rationem seu methodum servet Spiritus sanctus, ut in homine animali, seu qui securitate ebrius est, per revelationem peccati & irae Dei ex lege excitet sitim: hoc est, considerationem, desiderium & apprehensionem misericordiae Dei propositae in Christo. Cum enim muliercula de spiritualibus & aeternis bonis parum sollicita, tantum de externa commoditate, ne cogere subinde ad fontem illum extra civitatem excurrere, quaereret, Christus jubet accersi maritum ejus, ut ira ducat eam in agnitionem peccatorum & irae Dei. Nam post quinque, vel legitima conjugia repadiata, vel post quinque concubinas, vetula adhuc vivebat in scortatione. Nam conjunctio *κα*, potest accipi vel pro adversativa, quinque viros scilicet legitimos habuisti, sed ille, quem nunc habes, non est legitimus tuus vir: vel si simpliciter accipitur, sensus erit: Antea quinque viros illegitimos scilicet habuisti, & ne ille quidem, quem nunc in senectute habes, legitimus tuus vir est. Tales autem voluit Christus esse primitias alienigenarum, quos primò ad regnum suum vocavit: ut sciamus, donari illud non ex dignitate, sed ex gratia, ne quis gloriatur, sed ut omne os obstruatur. Ideò enim hoc loco donum Dei primò non honestis Samariae civibus offertur, sed exo leto scorto. Summa igitur est, praedicationem Evangelii sine poenitentia non posse locum habere: parari autem Evangelio viam, revelatione peccatorum & irae Dei. Et in Samaritide quidem hoc manifestum est. Ipsa enim civibus postea publicè fateatur sua flagitia. Et quia, inquit, (Dixit mibi omnia, quaecunque feci:) videtur muliercula haec occultò ita scortationes illas exercuisse, sub praetextu vitae calibis. Sed quia reliqui cives, qui evocabantur, non erant omnes contaminati hujusmodi flagitiis, quomodo igitur illis Christus praedicavit poenitentiam, ut redderentur capaces doctrinae de salute Messiae? Johannes verba non annotavit, sed ex colloquio cum muliercula hoc potest colligi. Propter electitium enim cultum in monte Garizim, cui Patrum nomina praetexebant, existimabant, se sanctos, Deo gratos & acce-



acceptos esse. Sed illam ipsam persuasionem Christus arguit, (*vos adoratis, quod nescitis*;) quia cultus est sine Verbo Dei: (*Et salus ex Judæis est.*) Ergo in vestra religione non est salus. Huc pertinet etiam allegoria illa sitis spiritualis, quæ nulla aqua undecunque hauriatur, etiam si ex fonte Jacob sit, restingui potest, nisi sola aqua viva, quam Christus dat. Postea etiam agnoscunt, Christum esse Salvatorem mundi. Didicerunt ergo ex concione Christi, mundum, etiam ubi in suis religionibus sanctus est, esse perditum & damnatum, quia indiget Mediatore. Ita doctrina Christi arguit peccatum, non tantum in secunda, sed in prima etiam tabula. Prædicat enim poenitentiam non tantum sceleratis, ut Samaritidæ, verum etiam sanctis, & omnes religiones extra Christum damnat, ac pronunciat, non esse in iis salutem, sicut hæc aliàs latius solent explicari. Nos tantum ostendimus, quæ sint capita primæ hujus conversionis alienigenarum, inter quæ primum est prædicatio poenitentia, sive agnitio peccatorum & iræ Dei, sicut jam ostendimus.

Secundum caput est fides apprehendens donum Dei in Christo ad salutem & vitam æternam. Observabimus autem, quomodo secundum illud caput Christus in hac concione tractet, non docendo tantum, sed ita, ut primitias alienigenarum ex errore ad veram agnitionem & fidem adducat. Ideo enim non continua oratione, sed forma colloquii articulum justificationis cum Nicodemo & cum Samaritana tractat, ut ostendat, veram fidem non posse plantari, nisi prius contrarii errores evellantur. Id verò non uno statim momento fit, sed suos habet gradus: sicut hæc historia ostendit. Muliercula enim videns Jesum non latere domestica vitia sua, quæ, quia occulta erant, in tota civitate ex aliorum narratione non potuisset cognoscere, ex occultorum cognitione intelligit ipsum Prophetam esse, quorum proprium est futura & occulta agnoscere & revelare. Prædicatione igitur arguente peccata ab eo, quæ plus quam vulgarem hominem esse agnoscebat, territa, ita ut anxie jam cogitaret de reconciliatione cum Deo, quem graviter à se offensum esse sentiebat, statim movet illam quæstionem: Quia video, te Spiritum Dei habere, & Prophetam esse, quorum officium est, homines de voluntate Dei rectè docere: explices igitur quæso illam, quæ inter nos controversatur, quæstionem! (*Patres nostri in hoc monte adoraverunt*;) Judæi verò dicunt, Hierosolymis in templo esse adorandum, si quis Deo velit reconciliari, 3. Reg. 8. v. 29. Deut. 12. v. 21. Hac quæstione eò tendit, ut vel Samaritanam religionem, ad propitiandum Deum Judaica meliorem esse probet, ex præscriptione longi temporis, & prætextu auctoritatis Patrum: vel, ut significet, se turbari dissentientibus de religione sententiis, Judæis de suo templo, Samaritanis de suo monte contendentibus: vel, ut ostendat, idem valere, quacunque ratione quis quærat gratiam & salutem, modò hoc fiat bona intentione, & dirigatur ad illum Deum, qui est creator cœli & terræ. Judæi, inquit, adorant Deum suo modo, nos nostro, habent illi suas rationes, nos nostras, & utrumque fit eadem intentione, perveniendi scilicet ad salutem æternam, & dirigatur ad eundem

Deum. Hæc sententia quæstionis Samaritanæ ideò diligenter observanda est. Hoc enim rationis iudicium de diversis religionibus plausibile est, & multos perturbat. Sicut Philastrius fanatici cujusdam Rethorii opinionem recitat, quisentit, omnes quascunque religiones rectè ambulare. Et nostro tempore erro quidam Postellus scripsit *παραθεωσίαν*, in qua omnes omnium gentium religiones conciliat, & vocat Concordiam orbis, Præcipue verò ardua & omnibus temporibus vulgata disputatio fuit de illis cultibus, qui, licet manifesto Dei verbo destituuntur, tamen ex Patrum vel Sanctorum exemplis, colorem aliquem habent: sicut muliercula hæc dicit, tamen Patres nostri, qui sine dubio Deo fuerunt acceptissimi, Jacob scilicet cum duodecim filiis Patriarchis, erecto in hoc loco altari, invocârunt ibi fortem Israël Genes. 33. v. 20. non Hierosolymis, nec in illis planè ritibus, quos Moles describit, adorârunt. Audiamus ergo, quid ad hanc Samaritanæ quæstionem Christus respondeat. Versamur enim in loco communi de cultibus, qui ex Patrum exemplis sine verbo Dei instituuntur. Summa autem responsionis Christi hæc est: Non exemplis, sed Legibus iudicandum esse, sicut vulgò dicitur, Ideò exempla Patrum, ubi non idem mandatum, non eundem Spiritum habemus, non esse sine iudicio, quod ex Verbo Dei formari debet, imitanda. Item tempora esse discernenda. Patres enim ante Legem non habuerunt mandatū de templo Hierosolymitano & de Leviticis ceremoniis, quod mandatum postea datum fuit, & in Novo Testamento madatum illud de Leviticis cultibus jam abrogatum est. Si hæc tempora confundantur, facile potest admitti *κακογῆσια* exemplorum, quæ Deo non probatur. Hæc omnia Christus complexus est brevi & memorabili illa sententia: (*Vos nescitis, quid adoretis*;) hoc est, licet bonam habeatis intentionem & dirigatis cultum ad Deum, prætexatis etiam exempla Patrum: tamen quia sine manifesto Verbo Dei cultus vester institutus est, nescitis quid adoretis. Inter Judæos verò, qui verè pii sunt, quia habent certum Verbum Dei, de suis cultibus, sciunt, quid adorent. Adest autem, inquit, hora abrogationis Sacerdotii Leviticis: & si quis post eam abrogationem voluerit Leviticis ritibus Deum colere, non minus peccabit quam vos Samaritani *κακογῆσια* Patrum. Notandum autem est ordo verborum. Non enim dicit: Nescitis, quid adoretis, sed, (*Adoratis, quod nescitis*;) hoc est, quia Verbum Dei non est lucerna vestra ideò incertæ & vagæ sunt imaginationes quas de Deo habetis. De essentia verò & voluntate ejus nihil certi & firmi potestis absque verbo statueret. (*Nos vero adoramus & οἴδαμεν.*) Significat enim notitiam ex Verbo, & fidem debere prælucere in verò cultu Dei, ut certi simus, ex Verbo Dei cultus nostros placere. Præcipue verò quod ad hoc caput, de justificatione attinet, sensus est: Rationem humanam, sine Verbo Dei, profus ignorare, quomodo Deus sit placandus, sed ex verbo hoc discendum. Rejeçtis igitur falsis cultibus, propius jam Jesus mulierculam de vera fide instituit, cum inquit, (*Salus ex Judæis est.*) Quod intelligitur primò de Messia natiçituro ex Judæis, Rom. 9. v. 5. Secundò de verbo Judæis concredito, Rom. 3.

Rom. 3. v. 2. & exituro ex Jerusalem, Esa. 2. v. 3. Fides enim debet quarere & apprehendere salutem: sed vera salus tantum in illo semine est, quod ex Iudæis promissum erat, & in verbo offertur. Qualis item sit illa salus, quomodo sit quaerenda, & apprehendenda, ex illo verbo, quod Iudæis traditum est, discendum est, quod ex Sion exiit. Hanc esse sententiam hujus dicti, ex responsione mulierculæ colligitur. Errorem igitur de Samaritana religione Christus jam ipsi eripuit, & deduxit eam ad agnitionem Messia venturi ex Iudæis, in quo salus sit. Et observentur gradus: muliercula enim statim arripit agnitionem & fidem generalem, (*Sic, inquit, Messiam venturum.*) (Utitur autem verbo *ἐγενήθη*, quod significat adventum Messia præforibus esse,) (*Et cum venerit omnia nobis annunciatum,*) juxta promissionem, Deut. 18. vers. 18. Illa enim generalis notitia promissionis de Messia ex Iudæa parsa fuit inter omnes fermè gentes, præcipuè verò inter Samaritanos, qui Apostatæ erant ex Iudæis. Et Baptista nuper in illa vicinia de Messia docuerat. Et muliercula hæc generale illam notitiam & assensionem promissionis de Messia putat sufficere ad salutem. Sed Christus deducit eam ad specialem agnitionem personæ Messia: (*Ego, inquit, qui loquor tibi, sum*) Messias ille. Diligenter autem notanda est generalis illa perfratio, quæ Samaritana ad veram fidem deducta est, omnia scilicet, quæ ad consequendam salutem necessaria sunt, & quæ ad verum cultum Dei in Novo Testamento pertinent, Messia cum venerit, annunciatum. Communis igitur tunc opinio fuit, in Mose non omnia explicite contineri, sed multa reservata esse pleniori explicationi Messia, Deut. 18. v. 18. Isa. 2. v. 3. Mich. 4. v. 2. Ex hoc principio deducitur ad veram seu specialem fidem, cum audit: Messias jam venit, & ego, qui tecum loquor, sum ille.

Muliercula verò hanc assertionem non statim stulta credulitate, sine inquisitione fundamentorum & certitudinis, amplectitur: sed relicta hydra cupiens plures, sicut est veræ fidei natura, ad Christum adducere, quæstionem illam cum argumentis defert ad concipes suos, non volens sibi privatim iudicium de re tanta sumere; sed (*Venite, inquit, videte, quia, nunquid hic sit Messias?*) Non quod ipsa dubitet, sed ex indicatione occultorum infert, ipsa hunc esse Messiam. Proponit autem totum illud omnium iudicio in re præsentis examinandum & expendendum. Samaritani verò moti illo argumento, quod omnia occulta, quæ muliercula illa fecerat, dixisset ei, (hoc enim rectè inter miracula numerari, Johan. 1. de Nathanaele & Simeone ostendimus.) exierunt ad fontem ubi Christus sedebat. Et quia ex Baptista, qui in Ænon, propè Salem & Sichem, paulò ante docuerat, intellexerant, Messiam adesse: (*rogarunt*) itaque ipsum, ut plenioris institutionis gratia (*maneret apud ipsos, & mansit ibi per biduum.*) Quia enim plenum tempus vocationis gentium nondum venerat, ideò tantum micæ quasdam suæ gratiæ Samaritanis communit, id què per biduum saltem: ne Iudæi criminarentur, ipsum Samaritanum esse, quod tamen fecerunt, Johan. 8. vers. quadragésimo octavo. Obser-

vandum autem est, quod Evangelista dicit, Samaritanos primum credidisse propter sermonem mulieris, testantis, Iesum dixisse sibi omnia occultissima, quæ fecerat: postea verò dicuntur credidisse non propter mulieris orationem, sed propter verbum, quod ex Christo audierant. Miracula enim, ut testes, debent nos ad Christum deducere, ut ipsum tanquam Messiam audiamus. Ita Evangelio non crederem, nisi Ecclesiæ auctoritas me commoveret, non, ut in miraculis & testibus inhæreamus: sed ut Christi verbum apprehendamus. Fides enim, sicut ex verbis Christi concipitur, ita solius Christi verbis inniti & inhære debet, sicut hoc loco Samaritani dicunt: (*Non jam propter mulieris orationem, sed propter ipsius Christi verbum, quod audivimus, credimus.*)

Summam verò doctrinæ, qua per biduum illud Iesus Samaritanos de fide instituit, Joannes complexus est brevi hac sententia: (*Audivimus, credimus, & scimus, quod hic verè sit Salvator mundi, Christus ille.*) Et quæ ad veram fidem pertinent, omnia in dicto illo, licet breviter, comprehenduntur: scilicet agnitio personæ & officii Messia. (*Hic est Christus, est Salvator mundi.*) Quomodo verò acquisiturus sit salutem mundi, hoc insinuat appellatione Christi: quod scilicet unctus sit, ut sit Pontifex, victima corporis sui, placaturus iram Patris. Non autem plenè illa explicata fuerunt tunc: sed quia sciebant, Messiam annunciatum omnia, cujus voci credendum & obediendum esset, hæc initia fidei ad securam plenioris explicationem reulerunt. Quomodo ergò applicatio fieri debeat, ostendunt hæc verba: (*Crediderunt in ipsum. Item, Credimus, & scimus.*) Fides autem in Christo quærat & apprehendat salutem: quod scilicet Christus sit servator mundi. Ex auditu autem verbi Christi concipitur fides illa: dicunt enim, propter sermonem ejus, quia ipsi audivimus, credimus. Nec est vaga aut incerta opinio fides: sed scimus, inquit, hoc est, certò persuasi, nihil amplius dubitantes statuimus, & scimus, quod hic verè sit Messias. Et ad verbum *ἀληθείας* opponitur vel Pseudochristis, qualis Theudas fuit: vel opponitur Salvatoribus typicis mundanis, sicut in historia Iudicum aliquoties dicitur, Misit eis Salvatorem: sed hic Iesus verè est Messias, Salvator mundi. Hæc verò salus non Iudæorum tantum est, sed totius mundi: quia Christus est (*Salvator mundi.*) quia enim Pharisei salutem, per Messiam promissam, solis Iudæis arrogabant: ideo Samaritani, ut se quoque includere possent, vocant Messiam non Regem Iudæorum, sed Salvatorem mundi, ex Isa. 49. v. 6. Ut sis salus mea usq; ad extremum mundi. Et hæc aviditas in discendo, & in credendo facilitas in Samaritanis, Iudæorum malitiam condemnat, qui Iesum, doctrina & miraculis diu apud se commorantem, contemserunt, repulerunt, & ei non crediderunt. Samaritani verò ex verbo Christi certi non expectant iudicia Pontificum, sed statim, & quidem contra Pontificum decreta, Christum recipiunt. Singula hæc capita in verbis textus manifestè observari possunt, quæ ideò tantum annotavi, ut ostenderem, qualis fuerit fides illorum, qui primi à Christo tempore, ministerii ipsius, ex alienigenis ad regnum Dei vocati sunt: scilicet (*audivimus, credimus, & scimus, quod Iesus sit Chri-*

*Christus, Salvator mundi.*) Et utilis est observatio illa, quam monstravi, quomodo & per quos gradus Christus mulierculam illam & reliquos Samaritanos ad veram agnitionem & fidem perduxerit. Secundum igitur caput hujus colloquii est, de fide apprehendente donum Dei in Christo, ad salutem æternam.

Tertium caput hujus concionis est, de veris cultibus Dei: (*Veri adoratores adorabunt Patrem, &c.*) Quæ verba etiam ad articulum justificationis accommodari possunt, de fide per invocationem petente & accipiente à Deo gratiam, remissionem peccatorum, & salutem: sicut fit à quibusdam interpretibus. Sed illam distributionem, quam docendi gratiâ institui, iudico minùs esse intricatam: ut adoratio hoc loco, sicut & aliàs in scriptura usitatum est, pro toto cultu accipiatur. Omnes igitur non prorsus à Deo volunt Deo cultum exhibere, quisque suo quodam modo, quem propter intentionem non malam existimât Deo placere. Sed Christus simpliciter omnes cultores rejicit, qui adorant, quod nesciunt: hoc est, quorum cultus sine cultu Judæorum Dei institutus est. Regula igitur hinc colligitur: illos solos cultus Deo placere, qui ex præscripto verbi ipsius instituuntur & suscipiuntur. Num igitur omnibus ascendendum est Hierosolymas, ut in solo illo templo Deus colatur, quia cultus templi habet verbum Dei? Ad hoc respondet Christus magna cum asseveratione: (*Crede mihi mulier,*) hoc est, quod dico, certum est, & omni acceptione dignum, sicut Paulus loquitur: vel idem est, quod alibi per particulam Amen insinuatur: (*Venit hora, & jam est, quod nec in*) monte Samaria, nec Hierosolymis in templo adorabitis Patrem. Ostendit ergo futuram abrogationem ceremoniarum Mosaicarum & totius cultus Levitici, & quidem se jam adventu suo & incoatione sui ministerii finem attulisse, ut cultus Dei jam non ampliùs ad certam gentem, ad certum locum, ad certas ceremonias alligatus sit: idèd inquit, (*Venit hora, & jam est.*) Sed si Deus juxta verbum suum vult coli, Leviticus certè cultus habet verbum Dei. De rejectione igitur Samaritici cultus manifesta est ratio, quia destituitur verbo Dei. Sed quomodo Leviticus cultus abrogabitur, cum habeat verbum Dei? Respondeo: Verbum Dei illam rationem cultus divini in Mose præscripsit, non ut esset perpetua, sed ad tempus correctionis usque fuit imposita, donec veniret semen, sive Messias, Hebr. 3. v. 8. & 9. v. 10. Gal. 4. v. 1. Jer. 31. v. 33. Jam ergo cum Messias venit, finem habet totum sacerdotium Leviticum. Appellatione enim loci Hierosolymorum totum cultum complectitur, qui ita institutus erat, ut pleasque ceremonias extra Hierosolymas exercere non liceret. Abrogatio igitur loci totius legalis cultus abrogationem complectitur: sed colligamus ea, quæ in hoc colloquio ad verum cultum pertinent. 1. Non sine gravi consilio factum est, quod loquens de cultu non simpliciter Deum nominat: sed inquit, (*Veri adoratores adorabunt Patrem.*) Tunc autem sumus filii Dei, & clamamus Abba, Pater, Rom. 8. v. 14. quando per fidem cum Deo in Filio ipsius per ministerium Spiritus reconciliati sumus. Ante omnia igitur in omni verò cultu Dei fidem justificantem oportet præluce-

ut persona priùs fide, propter Mediatorem, Deo reconciliata sit, hoc est, sicut Christus hoc loco inquit, ut Deum tanquam Patrem adorare possit. 2. Non electiis cultibus & operibus, sed iis, quæ in verbo Dei præscripta & mandata sunt, Deus vult coli. 3. Duplex autem est verbum, Alterum per Mosen de Levitico cultu traditum, quod temporale est, tantum usque ad adventum Messie: Illud verbum ad cultores Novi Testamenti non pertinet. Alterum verò verbum de spirituali cultu Dei perpetuum est, quod etiam Patriarchæ ante legem, & sancti sub lege, servarunt: illud verbum involutum & quasi vestitum fuit certis ritibus divinitus mandatis, & ante legem, & sub lege, sed in cultu Novi Testamenti ita sonat: (*Veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu & Veritate.*) Adeò vero nobis, qui carnales sumus, Rom. 7. v. 14. vera ratio spiritualis cultus ignota est, ut ipsa verba, quibus proponitur & describitur, videantur peregrina & obscura: quid scilicet sit, in Spiritu & veritate adorare? Non possunt autem verba hæc simplicius & rectius declarari, quam adhibita antithesi. Dixit enim de cultu Judæorum Levitico, & de cultu Samaritanorum: quorum hic erat hypocriticus & suppositivus; illum Epistola ad Hebræos vocat mundanum, terrenum, & carnalem. Christus verò opponit Spiritum & veritatem: ut (*Spiritus*) opponatur carni, seu externis certis ritibus: (*veritas*) opponatur umbris, figuris, & hypocrisis externarum actionum, sive opinioni operis operati. Hæc antithesis monstrabit veram sententiam. Sub Veteri Testamento pii absque dubio Deum spiritualiter coluerunt. Prophætæ enim illos objurgant, qui in externis ritibus, sine interioribus motibus Spiritus, cultum Dei situm putabant, Psal. 50. v. 14. Isa. 58. v. 7. Mich. 6. v. 8. sed cultus ille, cum multis Leviticis ceremoniis, externis ritibus & corporibus gestibus erat quasi vestitus. In Novo verò Testamento Christus affirmat, externas figuras & umbras abrogatas esse, & cultum Dei consistere non in externis ritibus, gestibus, aut ceremoniis, sed (*in Spiritu & veritate*): hoc est, in veris seu novis interioribus virtutibus cordis, excitatis per Spiritum sanctum, & in operibus à Deo mandatis, quæ ex interioribus illis motibus proficiuntur, ut est fides, invocatio, timor Dei, dilectio Dei & proximi, &c. Eodem modo consideretur & altera antithesis. Samaritanorum & omnium Ethnicorum cultus erat electivus, consistens in externa quadam religionis specie, seu potius simulatione, sine veris motibus cordis: aut si qui interiores motus aderant, erant ex libero rationis arbitrio elicit. Christus vero huic ethnico cultui opponit Spiritum & veritatem, ut scilicet 1. sint motus & opera à Deo mandata, & in verbo expressa. 2. Cultus Novi Testamenti consistat non in externa specie aut simulatione exteriori, sed in veris motibus cordis. 3. Illos autem veros motus caro aut ratio non potest excitare, aut elicere & efficere: sed oportet esse fructus Spiritus, qui mentem renovat, cor mundum creat, ut ex hac nova radice novi illi fructus prodeant: Deinde, ut cum his interioribus motibus consentiant etiam exteriores actiones. 4. Huc pertinet etiam, quod antea dictum est, ut persona antea sit reconciliata, & fides præluceat. Addit autem Christus rationem: quia

(Deus

(*Deus est Spiritus*.) Ergo quærit tales adoratores. Referatur autem hæc ratio ad præcedentem antithesin, & res manifesta erit. (*Deus est Spiritus*.) hoc est, non est caro, substantia visibilis, effigies corporalis externa. Ergo non acceptat pro verò cultu corporales ceremonias, externos ritus seu gestus, nec colitur externa hypocrisis: sed Spiritu mentis vult coli, quia ipse Spiritus est. Item: (*Deus est Spiritus*.) ergo non vult coli illis, quæ caro, id est, homo non renatus elicit, aut producit, sed cultum spiritualem requirit, quem Spiritus sanctus in corde renovato efficit.

Hæc est simplicissima sententia ex rebus ipsis petita, & congruit cum phrasi Scripturæ. Vocabulum enim Spiritus, sæpè usurpatur pro novis moribus à Spiritu sancto accensis, ut Joh. 3. v. 6. Quod natum est ex Spiritu, Spiritus est. Matth. 22. v. 43. David in Spiritu vocat Messiam Dominum. Rom. 7. v. 6. Servire in novitate Spiritus. Rom. 8. v. 14. Qui Spiritu ducuntur: & v. 9. non estis in carne, sed in Spiritu. Rom. 1. v. 9. Deus, cui servio in Spiritu. Gal. 4. v. 29. Secundum Spiritum generatus. Gal. 5. v. 16. Spiritu ambulate, &c. Et vocabulum Veritatis in hac, sicut exposuimus, significatione in Scriptura sæpè usurpatur, ut Joh. 1. v. 17. Gratia & veritas. Joh. 3. v. 21. Qui facit veritatem. 1. Cor. 5. v. 8. In azymis sinceritatis & veritatis. Ephes. 4. v. 21. Est veritas in Christo Jesu. Item v. 24. In justitia & sanctitate veritatis, &c. Hæc vocabulorum explicationes, si cum antithesi illa, de qua diximus, jungantur, plana & perspicua erit sententia. Multa autem ex hoc dicto Christi extruuntur, contra prophanos cultus Ecclesiæ pontificiæ, & contra hypocrisin familiarem omnibus hominibus, quando Deum volunt colere. Christus enim, cum inquit: (*Veri adoratores adorabunt in Spiritu & veritate*.) ostendit, etiam in Novo Testamento, non omnes fore veros adoratores, sed multos in cultibus similes futuros, vel Judæis vel Samaritanis. Illis omnibus opponenda est doctrina de vera ratione cultus divini. Sed non scribimus locos communes. Satis igitur est fontes doctrinæ notasse. Et hæc est præcipua pars historiæ de perfectione Christi ex Judæa per Samariam; cujus circumstantias ideo plenius aliquantò explicare volui, quia prima concio est, quam Christus legitur habuisse ad alienigenas, & quia in ea describitur forma institutionis, conversionis, & fidei eorum, qui alieni à politia Israël, sicut nos ex gentibus omnes sumus, vocatur ad communionem Christi & regni ipsius. Ideo nos præcipuè decet diligenter hæc considerare.

Redeuntes verò interea ex civitate cum cibis discipuli, deprehendunt Christum cum muliercula colloquentem, quæ relicta hydria mox abit in civitatem. (*Mirantur*) autem, inquit Evangelista, hoc est, cogitant, non decere gravitatem tanti Doctõris, ut cum vili muliercula, & quidem Samaritana, cum quidem sola sit, de rebus fidei colloquatur. Hactenus enim non mulieres, sed viros viderant ab ipso, & à Baptista etiam, institutos. Et tamen tantum tribuunt Christo, ut non ausint reprehendere factum, cujus rationem non satis intelligunt. (*Nemo tamen dixit, inquit Johannes, quid interrogas mulierem, aut cur loqueris cum ea?*) Tanta erat discipulorum reverentia erga

Christum. Quæ doctrina bene notanda est: ne in operibus Dei illa, quæ rationi nostræ non probantur, cum causas non intelligimus, statim damnemus. Christus verò voluit ostendere, se nullum sexum à doctrina regni sui rejicere: sicut in postremo anno ostendit, nullam ætatem prohibendam esse à regno suo, cum etiam parvulos, contra Apostolorum iudicium, jubet sibi adduci. Gerson hoc exemplum ita ad doctrinam accommodat. Non captandam esse in concionando frequentiam aut præstantiam auditorum, quasi alias fructu caritura sit doctrina, cum Christus uni & quidem satis vili mulierculæ tam prolixè concionetur, mirantibus etiam Apostolis: fructus enim amplissimus inde rediit ad totam civitatem. Admonitus verò Jesus à discipulis ad capiendum cibum, incipit per *ἀναγνώσκω* concionari de alio cibo. Usitatum autem in Scriptura est, metaphora famis, sitis, cibi, & potus, describere ardens desiderium cujusque rei, in quam intenti sumus, quæ delectatur, quam assequi aut perficere expetimus. Cum igitur videret, mulierculam, accensam desiderio regni cœlorum, relicta hydria properare in civitatem, & prævideret futurum ardorem civium, ipse multo majori desiderio ardet & in hoc intentus est, ut incoatum opus regni cœlorum in Samaria perficiatur, & huic labori, ubi data est occasio, ita deditur & intentus est, ut cum antea defatigatus refocillationis gratia consedisset, jam nec cibum nec potum curet. Et hoc vult illa allegoria, (*Meus cibus est*.) hoc est, nullæ epulæ, nullæ delitiæ tam sèves mihi sunt, quàm (*ut faciam voluntatem ejus, qui misit me, utq; perficiam opus ejus*.) scilicet ex voluntate ipsius mihi injunctum. Frustra enim hoc loco Origenes philosophatur: Hominem, qui est opus Dei, & per lapsum defecerat à Christo, perficiendum. Quæ sententia non est mala, sed non est hujus loci.

Eundem verò ardorem seu zelum etiam à discipulis in ministerio requirit. Facit autem illud sub metaphora messis, quæ postea etiam Matth. 9. v. 37. utitur, Messis copiosa est, ex Esa. 9. v. 3. Considerandum autem est, quare non simplici oratione utatur, in proponendis his rebus, sed similitudine cibi & messis. Facit enim illud, non ut res, quas intelligi volebat, occultet, sed quia majori diligentia & ardore in occasiones rerum corporalium, ut capiendi cibi & faciendæ messis, intenti sumus: ut hac commonefactione ad curam spiritualium animos discipulorum excitet. Instante enim tempore messis, quid singulis mensibus agendum sit, sollicitè curamus. In ipsa verò messe omnia postponimus, in præsentem occasionem intenti, ne matura grana excidant, & fructus pereat. Quantò major alacritas in spirituali messe esse debebat, ne quid cessatione negligere? Sumpta autem à circumstantia temporis occasione, meminit quatuor mensium ante messem. Et quomodo supputatio annorum & distributio historiarum inde sumatur, aliquoties jam ostendimus. Christus verò mentionem quatuor illorum mensium ideo facere videtur. Quarto enim mense ante messem seges altius jam exurgit in herbam. Ideo Cyrillus dicit, habitam hanc concionem pubescentibus jam satis: tertio mense colligit spicas: secundo mense incipit florere: & quarto mense ad

maturitatem tendens incipit quasi canescere. Hæc momenta temporum in segetibus vulgò diligenter observantur, & peculiaris quæ in unoquoque momento temporis cura requiritur, ab agricolis non solet negligi. Ideo dicit, (*Nonne vos*) soletis ita loqui? Illam similitudinem ad spiritualem Evangelii sementem Christus accommodat: ut in singulis incrementi ejus gradibus ministri Verbi eam, quæ requiritur curam, summa diligentia adhibeant. Quomodo verò cessationem & negligentiam in ministerio, commonefactione illius similitudinis notet & corrigat, manifestum est. (*Vos, inquit, dicitis, jam quatuor menses adhuc restare ad messem.*) Ego autem dico vobis, spiritualem Evangelii messem jam instare. Sicut enim quando videtis segetes flavescere, intelligitis, eas maturas esse ad messem. Ita si sustuleritis oculos corporis & mentis, videtis regiones ubique ad messem Evangelicam flavescere: hoc est, sicut in Judæa vidistis, ita nunc ex concursu Samaritanorum videtis, quos surmatim civitate egredi cernitis, & mox videbitis in Galilæa mentes hominum avidas, promptas & paratas esse ad recipiendum Evangelium, per quod colligantur in horreum seu Ecclesiam Domini: vos videritis, ne officio vestro desitis, & labori parcatis. Quia verò meminit spiritualis messis & sationis, & hanc tribuit Prophetis, illam verò Apostolis, totus igitur cursus ministerii Verbi, ab initio mundi usque ad Apostolorum tempora, potest non incommode juxta momenta quatuor illorum mensium distribui, ut tempus sementis sit ab Adamo usque ad Abrahamum, sub quo incoëtur *iniquitas* illud, quo seges in herbam exurgat: sub Mose fermentur spicæ: quæ tempore Prophetarum protrudant flores: Baptista verò parando viam, & Christus præsentiam suam miraculis demonstrans, segetem producant ad maturitatem: ita ut Apostolis jam restet collectio frugum in vitam æternam. Ecclesia enim sub Lege fuit, ut puer sub pædago, Gal. 4. v. 2. Et quia Lex nihil ad perfectionem adduxit, Ebr. 7. v. 19. sed sub Evangelio crescit Ecclesia in virum maturum, Eph. 4. v. 13. Ideo maturæ segeti eam comparat. Et ostendit Christus, faciliorem jam fore rationem in ministerio Apostolorum. Animi enim hominum doctrina Mosis, Prophetarum, Baptista, & Christi, ad excipiendum Messiam excitati & præparati, quasi albescent jam, inquit, ad messem spiritualem. Et hoc est, quod inquit: (*In illorum laborem ingredimini.* Et

*Misi vos ad metendum, quod non laborastis.*) hoc est, in qua segete non subiistis laborem sationis. Illi graviore sustinuerunt labores in ministerio, quales sunt stercoreandi, arandi, occandi, ferendi, zizania evellendi: vos in labores ipsorum succeditis, ut, quæ ab ipsis laborata sunt, absolvatis & colligatis: ipsorum testimonio confirmabitur doctrinam vestram: latius propagabitur religio: plures convertetis. Et ne Apostoli laboribus & persecutionibus secuturis fracti desperent de suo ministerio, multò copiosorem fructum ministerio ipsorum promittit, quam vel in Patriarcharum vel Prophetarum ministerio fuerit. Qui enim sementem facit, sæpè vel interea moritur, ut alius ferat, alius metat: vel fundi calamitas supervenit, & tantum vel herbam, vel spicas, vel flores videt: qui verò metit, laboris sui præfens operæ precium facit, (*colligit enim fructum ad vitam æternam.*) Et illum successum ministerii, seu fructum operis, Christus vocat (*mercedem*), non quòd vita æterna fructus sit colligentis, sed quòd ministerium Evangelii, segetes seu fructus quos colligit, non in terrenum horreum, ubi aliquando consumuntur, colligat: sed in horreum regni cælorum, ubi collecti fructus vitam æternam consequuntur. Hanc sententiam Petrus pulchrè expressit, 1. Pet. 1. v. 12. Non sibi, sed nobis ministrarunt Propheta. Addit autem Christus, licet hanc differentiam Deus voluerit in ministerio esse: simul tamen suo loco & ordine, in ministerio, de suis donis & de illo, quod Deus largitur incremento, gaudet & gaudere debet, tam qui seminatur, quam qui metit. Nam omnes qui seminaverunt: hoc est, qui ministerio verbi in Ecclesia laborarunt, licet fructus non semper statim aut conspicuè sequantur, sciant tamen, laborem suum non inanem esse in Domino: sed de labore suo, quem jam irritum sæpè putant, aliquando gaudebunt non minus, quam qui metendo statim fructum colligit. Hæc est generalis accommodatio hujus sive parabolæ sive allegoriæ, ad diversa tempora ministerii, sicut hoc loco Christus ea usus est. Potest autem hæc similitudo etiam accommodari sive ad diversa dona ministrorum, sicut 1. Corinth. 3. vers. 6. Paulus ea utitur: Paulus plantat, Apollo rigat: sive ad cujusque ministerium, pro ratione incrementi auditorum, quæ accommodatio ex 4. vers. 8. capituli Marci sumi potest: vel potest etiam ad Psalm. 126. vers. 5. accommodari. Sed nolo jam prolixior esse.

CAPUT XXXIII.  
CONTINENS HISTORIAM REDITUS CHRISTI IN  
GALILÆAM, ET SECUNDUM SIGNUM IN GALILÆA,  
IN SANATIONE FILII REGULI EDITUM,

Joh. 4.

RATIO ORDINIS.

**I**n loco disputatur de vera ratione & harmonia historiarum, Matthæus enim c. 4. 12. videtur significare, Christum, cum rediisset in Galilæam, venisse Nazareth, Johannes verò dicit, ipsum venisse in Canam Galilææ. Quidā igitur sen-

tunt, ea, quæ Luc. 4. 16. de Nazarethanis describuntur, prius facta fuisse, & Jesum postea ex Nazareth profectū esse in Canā, sicut Joannes scribit. Et movetur illi duabus rationibus: 1. Quod ex Judæa per Samariā redeuntibus in Galilæam Nazareth prior occurrit quam Cana. 2. Quia Johannes testatur, Christum